

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

M.A. Level Medieval Latin Examination

April 11, 1994

Translate **ALL** PASSAGES. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write *on* alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. **SOME MORAL ADVICE**

Luge modo, dum est tempus,
ne gemas in iudicio,
ubi non valet gemitus,
nec ulla intercessio.

Modo labora fortiter,
dum es in isto corpore,
emenda tuum vitium,
ne gemas in perpetuum.

Non te frangat cupiditas,
nec te flectat fragilitas,
et noli cum diabulo
participare amplius.

O si corde intellegis,
que sunt precepta legis,
sed illi, qui adulterant,
lapidibus subiaceant.

Per salvatorem denuo
venit magna redemptio,
qua cuncta, que committuntur,
penitendo remittuntur.

2. ALCUIN'S ADVICE TO HIS MONKS

Non sint scismata occulte emulationis inter uos, quia Deus Christus Deus est pacis et caritatis, et 'qui in karitate manet, in Deo manet.' Dilectio uero proximi in officio misericordie et doctrina salutis ostenditur. Qui habeat uerbum Dei in corde doceat proximum. Qui habet seculi facultatem, adiuuet proximum. Qui habet cuiuslibet ministerii scientiam, opituletur proximo, ipso precipiente Deo, 'Omnia quecumque uultis ut faciant uobis homines, hec eadem et uos facite illis.'

Regularis uite obseruationem quam statuerunt uobis uestri sanctissimi patres, Benedictus scilicet et Ceolfridus, diligentissime custodite, quatinus cum illis eterne benedictionis mercedem habere mereamini. Hec est laus uestra. Iste est honor uester apud homines et retributio apud Deum.

Nolite conformare uos seculi hominibus in uestimentorum uanitate, in ebrietatis luxuria, in ioci lasciuiam, in otiositatis petulantia, sed cum omni modestia et pietate conuersatio uestra Deo sit amabilis et hominibus uenerabilis, sicut decet filios sancte matris et monachice uite alumnos.

3. CHARLEMAGNE'S WAR AGAINST THE HUNS

Maximum omnium, quae ab illo gesta sunt, bellorum praeter Saxonicum huic bello successit, illud videlicet, quod contra Avars sive Hunos susceptum est. Quod ille et animosius quam cetera et longe maiori apparatu administravit. Unam tamen per se in Pannoniam - nam hanc provinciam ea gens tum incolebat - expeditionem fecit, cetera filio suo Pippino ac praefectis provinciarum, comitibus etiam atque legatis perficienda commisit. Quod cum ab his strenuissime fuisset administratum, octavo tandem anno completum est. Quot proelia in eo gesta, quantum sanguinis effusum sit, testatur vacua omni habitatore Pannonia et locus, in quo regia Kagani¹ erat, ita desertus, ut ne vestigium quidem in eo humanae habitationis appareat. Tota in hoc bello Hunorum nobilitas periit, tota gloria decidit.

4. VICES OF THE EARLY BRITISH KINGS

Reges habet Britannia, sed tyrannos; iudices habet, sed impios; saepe praedantes et concutientes, sed innocentes; vindicantes et patrocinantes, sed reos et latrones; quam plurimas coniuges habentes, et scortas et adulterantes; crebro iurantes, sed periurantes; voventes, sed continuo propemodum mentientes; belligerantes, sed civilia et iniusta bella agentes; per patriam quidem fures magnopere insectantes, sed eos qui secum ad mensam sedent non solum amantes sed et munerantes; eleemosynas largiter dantes, sed e regione inmensum montem scelerum exaggerantes; in sede arbitraturi sedentes, sed raro recti iudicii regulam quaerentes; innoxios humilesque despicientes, sanguinarios superbos parricidas commanipulares² et adulteros dei inimicos, si sors, ut dicitur, tulerit, qui cum ipso nomine certatim delendi erant, ad sidera, prout possunt, efferentes; vinctos plures in carceribus habentes, quos dolo sui potius quam merito proterunt catenis onerantes, inter altaria iurando demorantes et haec eadem ac si lutulenta paulo post saxa despicientes.

¹ 'the palace of the Khan'

² 'military companions'